



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 10. De natis ex libero ventre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

errore rescinduntur. Ratio est, quia talis error non tollit consensum in personam præsentem, licet illa, quoad aliquas condiciones accidentarias matrimonio, existimeret aliter effecta.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

1. Partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris.
2. Idque siue ex legitimo siue non legitimo matrimonio filii nati sunt.

Cum superiori Tit. dixerimus, subsistere jure Canonico matrimonium inter servum & servam vel libertam, illius occasione hic quaeritur, an natus ex libero ventre, id est, matre libera, patre vero servo, censendus sit servus, an liber: Idque ex conditione matris aestimandum esse traditur * 1. Unde natus ex libero ventre, id est, matre libera, non quidem ingenuus, sed & libera, cujuscunque conditionis fuerit pater, liber erit & ingenuus: Et è diverso nascetur servus, si mater fuerit ancilla, *c. unico hoc tit. c. ult. sup. De servis non ordinandis. l. Partum Cod. de re vindic. §. penult. Instit. De jure personar. §. sed si quis instituit. de ingenuis.* Ratio est, quia quando quaeritur de servitute vel libertate, partus sequitur ventrem, id est, conditionem matris, *l. 5. §. 2. D. de statu hominum.* Idque favorabilis est proli, quando quidem ad hoc, ut sit libera, sufficiat matrem fuisse liberam aliquo tempore, vel conceptionis, vel partus, vel medio, etiam per minimum momentum à conceptione: Quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est, *l. 5. D. de statu hominum. §. Instit. de ingenuis.* Cum interim respectu patris non nisi conceptionis tempus, quo causa est efficiens, inspicere possis. Adde, quod quoad libertatem leges inspexerint id, quod est certius: Jam autem constare certo nequit, quo patre filius sit procreatus, cum tamen constet semper, ex qua matre sit in lucem editus.

Et hoc quidem obtinet, licet quis ex propria ancilla filium habeat, nam & is ejus servus est,

*l. 2. Ced. Si mancipium ita fuerit alienatum. Et c. l. fin. Cod. Communia de manumissionibus. * 2. siue filii nati sint ex non legitimo matrimonio, d. l. 5. §. 2. D. de statu hominum, siue ex legitimo, quia textus juris indistinctè loquuntur.*

Non obstat *l. Cum legitime 19 D. d. sic* quia ea ita intelligi debet, quod filii ex legitimo matrimonio sequantur patrem, quoad familiam & originem, *Gloss. ibid.* Non obstat quoque *can. fin. xxxi. 1. q. 4* quia à Glossa & communiter explicatur, ut filii tales sequantur deteriorem patrem, id est, debiliorem, qualis est femina.

Hæc tamen intelligenda sunt, quando agitur de servitute vel libertate ex vi natalium: Quia aliis de causis potest natus ex libero ventre redigi in servitutem, veluti, si ob ingratitude patris in servitutem reducat, *l. 2. Cod. de libertis. Et eorum libertis v. filiis Videatur Hostiensis. in Summa b. 1. §. Et in quibus Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 24.*

Præterea si consuetudo alicubi aliter habeat, ea, favore libertatis, non est improbanda, *c. Licet 3. sup. de conjugio servor.* Nam cum hæc res sit ex jure positivo, potest consuetudo prævalere, *c. ult. sup. de consuetudine.*

TITULUS XI.

De Cognatione spirituali.

1. Cognati unde dicti.
2. Cognatio triplex, Naturalis, Spiritualis, Civilis.
3. Cognatio Spiritualis quam dicatur.
4. Cur ex Baptismo & Confirmatione oriatur, non ex aliis Sacramentis.
5. Inter quos contrahatur de jure Decretalium.
6. Et de Conc. Trident.
7. Cognatio spiritualis, qua ex Catechismo oritur, solet, hodie sublata.
8. Cognatio spiritualis dirimit matrimonium postea contractum.

Nihil est, quod magis impediat matrimonium contrahendum, aut dirimat contractum, quam cognatio. Hocque impedimentum ex cognatione proveniens latè patet, & propterea de eo per plures Titul. tractat Pontif.

2. Cognati ab eo dici purantur, quod quasi

Ggg

unâ